



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 11. Admiranda in Aragoniâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

## §. 9. De Valentia.

IN urbe Sagunto, nunc Morniedro, templum olim Dianæ ducentis annis, ut creditur, ante Troiam excisam à Zacinthiis conditum, cuius trabes ex Iunipero ad Vespasiani tempora perdurarunt integræ, neque fatiscentes. Plinius lib. 16. cap. 40. Ex Boeckh, Historiis.

Ibidem ante centum annos in cœnobio, vetulæ Abbatissæ, & edentulæ iuuentus restituta, renouati dentes, crines denigrati, fulci frontis æquati, compactæ mammæ, &c. Valesius Tarentinus apud Delrium.

## §. 10. De Catalonia.

AD Salsulas, vulgò Salses, reperiuntur pisces fossiles, eodem modo quo alibi vermes. Item quoque fons dictus *Salsula* in lacum influit cognominem, de Salses ou de Locate. Is autem hyeme saltem tepidus, estate verd frigidissimus, vnde copiosa fit in lacu piscatio. Pompon. Mela. Polybius. Athenaeus. Sirabo.

In Catalonia *Cannarum* mons altissimus, cuius in apice lacus dæmonibus addictus. Aqua eius subnigra, in eum si lapis immittatur tempestas concitatur. Narrant indigenæ puellam dæmonibus à patre deuotam non procul ab hoc lacu à iisdem seruatam esse, & posthac mirabiliter erectam. Videtur esse hæc magorum statio. Gerasius quidam.

## §. 11. De Aragonia.

SAL, mira dulcedine quasi saccaro temperatus ex montibus Tarraconensibus cæditur; ideoque magni fit à Cupediariis. Sidonius Epist. ad Oresum.

Daroce ubi sacra seruantur Corporalia, ostenditur saxum non male hominem referens, in quod mutatum aiunt sacerdotem, qui coram sacris hostiis peierans optauerat in saxum rigere. Nierembergius.

Salo Fl. ad Bilbilim ferrum adeò durum reddit ut ægrè frangatur. Iustinus, & alij p[er]assim.

In

In Monte *Cauno*, vulgo *Moncayo*, si oues pascantur ante solis ortum procul dubio intereunt. *Historia Hispanica*.

In quodam huius Regni agro lapides reperiuntur, eiusdem coloris, & magnitudinis cum oleis. Item & alij, quos natura in co-tornices sic efformauit, ut arte elaboratas iurares. *Ioan. Eusebius*.

*Villile* in Cæsaraugusta Diœcesi Campana mirabilis sponte sonans quoties res Christiana accepit aliquid detrimenri. Cuius rei multa in actis publicis consignata sunt testimonia. *Varius lib. 2. de fascinatione cap. 14. & Mariana Hist. lib. 21.*

Apud oppidum *Olianam* ad Sicorim ædes virginis quam *Castel Vedrensem* dicunt, ad quam quotannis mense Martio die Veneris aliquo, ex Insulâ quam Fl. Sicoris efficit, exsurgunt tria lumina-ria cærulei coloris, basilicam subeunt per fenestras, accendunt lu-minaria, & functa suo munere egrediuntur, atque disparent. Quot indigenæ tot testes. *Ioan. Nierembergius*.

## LIBER SEXTVS.

### *De Gallia Antiqua.*

**D**OMANORVM, atque Græcorum terror Gallia, & cuius incolæ nihil aliud reformidarunt quam ne cælum in ipsis rueret, huic libro materiam sufficiet.

### CAPVT PRIMVM.

#### *De Gallia in communi.*

**H**IC agemus de Nomine Galliæ, Quantitate, Qualitate, Mo-ribus, Mercibus, Linguâ, Religione, Politia, primâ deni-que eius diuisione.

#### *§. 1. Nomen Galliæ.*

PRÆTERMITTO hîc quæ habet fabulosa Robertus Cænalis, dum *Gallos* deducit à voce Armeniacâ *Gallim* quæ inundationem sonat: & dictum esse putat Noënum *Gallum* quasi ab inundatione seruatum. Certè Xenophon in æquiuocis ait atavum Nini à Ba-byloniis Gallum appellari.

Sf